

§. XVII. Sed cum infra, ubi de caussis Comëtarum agimus, Planetis hanc virtutem tribuamus, ut Cometa generetur; ideoque vix aliter possumus, quam ut dicamus, *Cometarum locum esse intra sphaeras Planetarum*; quod ulteriori demonstratione hîc non eget.

§. XVIII. Si plagam cœli attendas, dicendum est, eos nullam certam permeare; sed modò in hâc, modò in aliâ cursus suos ordiri & perficere. Quidam enim *Sole oriente*, alii *deficiente* nascuntur. Is, qui anno 1585. in conspectum nostrum venit, pene *Soli adversabatur*, & directè ejus radios tantùm non excipiebat: cum interim alius anni 1607. *ad ursam* primùm visus est, sole per hibernum Tropicum versante. Imò quidam primò *versus Eclipticam*, alii *versus polos mundi* conspecti sunt. γ)

γ) Vidè *Rohaultum & le Grand* l.c.

§. XIX. Id observant hîc *Angli*: δ) Plures Comëtarum nostrum Systema intrare juxta signum *Libræ*, & circa spicam *Virginis*, quam juxta alias omnes partes cœli. Nam & Comëtam anni 1665. & multos alios memoratos in *Historiis* eâ viâ intravisse dicunt, & consequenter exiisse per signum *Arietis*, per quod etiam multi intrârunt.

δ) In *Actis Philosophicis* d. Lunæ Aprilis III. 1665. N. 2. p. 14.

CAPUT II.

De

DIVISIONE COMETARUM.

§. I.

EX *Historicis*, virorumque doctorum scriptis clarum est, Comëtarum multifarias esse *species*, imò tam multiformes, ut vix unquam alter Cometa, alteri quâ figuram, quâ magnitudinem coloremque omninò extiterit æqualis: annuente *Senecâ* *Natur. Quæst. L. VII. c. 20.* qui, *videmus*, inquit, *in sublimi varia ignium concipi genera, & modò cœlum ardere, modò*

Longos à tergo flammæ albescere tractus:

modò faces cum igne vasto rapi. Item paulò post: *Hîc locò sunt illa à Possidonio scripta miracula, columnæ, clypei que flagrantes, aliaque insigni novitate flammæ.* Pariter cap. 21. *Placet & nostris, Cometæ sicut faces, sicut tubas, trabesque & alia ostenta cœli, denso aëre creari.*

§. II. At *Plinio* *Libr. II. c. xxv. & xxvi.* Comëtarum *species decem* sunt: utpote *Pogonia, Acontia, Xiphia, Discei, Pithei, Ceratia, Lampadia, Hippei, Argyrocomi & Hirci.*

§. III.